

Philo.

majestas, ut omnia tanquam ei famulatura; etiam cum timore, ac tremore commoveantur. Ita Philo lib. de Decalogo explicans locum Exodi, sic ait: Oportebat ad Dei adventum turbari mundum omnibus suis partibus, & exciri ad ministerium.

120.

Omnes gentes subjuganda. Reg. 2. D. Cyril. Hier. Remig.

Tertio: Ut fieret apertum signum, quod gentes ac incolae etiam remotissimae audito Evangelio cum tot, & tantis signis maxime sunt commovendae ac subjugandae ad Christi fidem. Ita Beda, & Lyra, quod prophetatum fuit ab Reg. cap. 2. num. 7. ait Deus: Commovebo Caelum, & terram, & movebo omnes gentes ex Hebraeo legitur: Terreficiam omnes gentes, magnis prodigiis, & miraculis adducam ad fidem Christi. Ita Noster Cyrill. Alexand. D. Hieronym. Remig.

121. Arator.

Quarto ob tantum donum datum Apostolis terra laetabunda videtur cum illo tremore exultare, ut canit Arator.

— Horum sub gressibus ergo Latamovetur humus.

Math. 28.

Pro gaudio tremis terra. Psal. 113.

122. Occum.

Expellitur timor. Ecl. 5. Complur.

123.

Timor Dei adducit.

124. Ifai. 26.

Septuag.

Theod.

125.

Num. 23.

Procop.

Hinc cum Christus resurgeret, terra pra gaudio, ac hilaritate tremuit, ac veluti quosdam edidit salus, Matth. ultimo: quod communiter confirmatur, quia moriente Sancto Paulino Episcopo Nolani ejus cubiculum contremuit, quod factum est a terra tanquam pra gaudio exultante, cum anima transfret ad gloriam, & pro hac exultatione in mirabilibus Dei facit illud Psal. 113. Montes exultaverunt, ut arietes, & colles sicut Agni ovium, tanquam pra gaudio tripudiantes.

Quinto Occum. Ut hoc motu excluderet a discipulorum cordibus metum, quem ex Iudaeorum minis conceperat, qui enim faciebant tremere loca insensibilia, faceret tremere a conspectu eorum homines, ut dicitur Ecclesiastes 5. num. 7. Quia excelso excelso est alius legunt Complutenses: Habet enim oppressor ille superiorem se.

Sexto: Motus est locus, ut Apostoli timore concepto se praepararent ad recipiendum Divinum Spiritum; sicut in die Pentecostes sonu vehementi advenit ipse Coelestis hospes, ut metu, ac timore se disponerent Apostoli ad ipsum excipiendum; timore enim Dei maxime anima aptatur, ut venientem Deum valeat recipere.

Ait Isaias 26. num. 17. Sic facti sumus a facie tua Domine, concipimus, & quasi parturivimus, & peperimus Spiritum. Septuaginta: Propter timorem tuum, Domine, in utero accepimus, & parturivimus, & peperimus spiritum salutis. Theodorus in Catena graeca in Pentateuch. ait: Ostandi utilitatem, qua ex minis Dei percipiuntur. Accipientes timorem tuum, velut bonum semen, & hunc in utero gestantes; opportuno tempore salutem reportabimus. Ait quod ubi primum in animo concepit Dei timorem, tanquam bonum semen receptum, statim parturivit, ac reportavit spiritum salutis.

Pessimus, ac perverfus Baalam cum pergeret conductus a Rege Balac, ut malediceret Israel, in itinere apparuit ei Angelus evaginato gladio ad eum interficiendum, qui totus tremebundus suum agnoscens delictum Numer. 22. numer. 34. tandem cum venisset ad Regem, aris extructis, & cum incederet ad maledicendum populum: Dominus autem posuit verbum in ore ejus. Numer. 23. num. 5. ut benediceret populum Jacob, & tabernacula ejus, Mirabile sane, quod Deus Verbum suum sanctum, & purum, in ore hominis malefici poneret, atque in maligno ore hominis pessimi, ac imperfectissimi? Pulchre Procopius apud Glossam: Animis illi apparatus est, metu enim apparitionum adornatus fuerat.

rat. Homo pessimus omni spurcicia, ac maleficio Timore homo fit apibus ad plenus, cum tamen in eo praecessit timor, ipse sic eo adornatus, ac compositus est, ut aptus fieret, ad Verbum Dei suo in ore recipiendum, & capax foret caelestium beneficiorum.

QUESTIO XVII.

Quare modo dicuntur Apostoli repleti Spiritu sancto cum jam ipso fuissent repleti in die Pentecostes.

At Textus: Repleti sunt omnes Spiritu sancto, & loquebantur cum fiducia Verbum Dei. In die Pentecostes omnes receperunt Spiritum sanctum tamquam in habitu, hic vero tamquam in actu, ut prodirent in admirabiles actus, ut praedicarent Verbum Dei cum fiducia, ut Iudaeorum minas, & aliorum tyrannorum non timerent, ut facerent prodigia, & miracula, ut postulerunt. Unde ait Divus Chryso. in praesenti: Deaccessi sunt Spiritu Sancto, & reaccessum in ipsius charissimos. D. Gregor. ad cap. 10. lib. 1. Reg. ait: Jam non metuunt, quin cor in eis Spiritus sanctus mutavit. Lyranus ait: Per hoc datum est eis novum augmentum gratiae, & charitatis, ut exterius prodirent in tam illustres actus, operandi scilicet miracula, & cum fiducia praedicandi.

Cum discipuli quaerent a Iesu: Quis putas maior est in regno Caelorum. Advocans JESVS parvulum statuit eum in medio eorum. Matth. 18. num. 2. Quinam esset parvulus iste, multorum variae sunt sententiae, ut suo loco retuli, quas etiam referens D. Hieronym. ait: Alii parvulum interpretantur Spiritum sanctum, quem posuerit in cordibus discipulorum. Res omni admiratione dignissima, ut Spiritus Deus immensus, & infinitus implens Caelum, & terram, idem cum Patre, & Filio qui nullo loco teneri potest, dicatur parvulus. Ita nempe in cordibus discipulorum, qui cum adhuc essent rudes, & parvuli in fide, inde ipse in eis dicitur parvulus, ut cum ipso spirante eorum virtus excreverit, ipse quoque in effectibus ibi adolescere videatur Spiritus sanctus, cum sit Deus immutabilis in se nec magnus, nec parvulus, sed ex effectibus in humano corde talia nomina sortitur.

Postquam Samuel unxit Saulem in regem ait ei: Insuet in te Spiritus Domini, & prophetabis. 1. Reg. 10. num. 6. ex Hebraeo legitur: Proficiat super te Spiritus Domini, id est, Proventum faciat. Cajetanus ait in hunc: Proficientis describitur Divinus Spiritus in homine secundum novum donum operans, eo quod tamquam prius existens in homine progrediatur de bono in melius, non proficit Spiritus Dei in se ipso, sed in homine.

Docens Christus Dominus suos discipulos orare, praecipit, quod hoc modo dicant: Pater noster, qui es in Caelis, adveniat regnum tuum. Matthaei sexto numero decimo quae verba sic legit D. Gregorius Nicenus lib. de oratione ibi a me datus: Adveniat Spiritus sanctus, ut purificet nos. Sed quomodo Viri Sanctissimi maxime repleti donis Spiritus sancti ac ejus gratia plenissime purificati, atque iustificati postulant, ut ipse Divinus Spiritus adveniat, & purificet eos? Quia ipsi Viri sanctissimi, licet Divino Spiritu, & ejus gratia pleni pra Caelestium desiderio adhuc non quiescunt, sed avidi exoptant donis Spiritus sancti: & ejus gratia impinguari, & locupletari.

Ad hoc pertinet, id quod ait Regius Vates Psal. 105. num. 21. dicens: Catuli Leonum rugientes, ut rapiant

Psal. 103.

Lauret. Justus, non vit malus auxilium.

131.

132.

Euthym.

Ephes. 4.

Simile.

133.

Petrus Dam.

Mentis divisio lucra quaerit.

Gen. 13.

134.

Quid sit cor unum & anima una.

135.

Potho. Prima laus Ecclesiae primitiva unitas.

plant, & quaerant a Deo escam sibi. Extraordinarius dicendi modus contra omnem ordinem consuetum; prius enim est quaerere deinde rapere escam sibi; & contra ait David, ut rapiant, & quaerant escam sibi; quomodo, prius est rapere, deinde quaerunt, si ex rapina jam habent quod quaerunt? Lauretus Cervariensis ex D. Gregorio per escam intelligit auxilium gratiae, quod est donum Spiritus sancti, quod si quis tanquam ex rapina possidet, non quiescit, sed ardentius aliud, & aliud, magis, & magis intendit sibi comparare, plusque desiderat, & affectat acquirere.

QUESTIO XVIII.

Quare in primitivis Christianis tanta erat unitas, ut in eis esset anima una, cor unum, nullusque aliquid sibi proprium habebat?

Aliqui expositores multa hic congerunt de eleemosyna, paupertate, deque abnegatione temporalium, de quibus omnibus multa dixi variis in locis, hic tantum tractabo, quae pertinent ad expositionem literae.

In hoc maxime apparet, ac relucet gratia Spiritus sancti, qui hos primos Christianos impleverat, quia, ut ait Euthymius ad cap. 13. Charitas erga nos in Magistro Christo inter omnes alias virtutes potissimum eluxit. Haec est unitas Spiritus in vinculo pacis, Eph. 4. n. 3. Hoc est cor unum, & anima una. Sicut in Physicis, Anima informat, & fovet omnia corporis membra, quamvis valde diversa sint, & nullum habeat aliquid sibi proprium, id est, ad suum proprium commodum, omniaque conveniunt in commune corporis obsequium, sive comedat, bibat, dormiat, requiescat, vel ambulet; sic divinus Spiritus, tanquam anima vitae spiritualis, quos sua gratia adimplet, licet sint valde diversi generis, & conditionis, omnes adjungit, & conjungit in unum, ut nullum habeat aliquid sibi proprium, sed omnia sint illis communia in Dei obsequium, ejusque charitatis.

Et inde tanta unitas, ac concordia in eis erat; quia interveniente gratia Spiritus sancti, nec quisquam eorum aliquid sibi proprium esse dicebat. Ad quae verba sic ait Petrus Damianus lib. 1. epistol. 16. Ecce ubi non erat diversitas rerum, vigeat unitas voluntatum, nimirum, ubi non est divisio census in unione charitatis plurium mentium conflatur affectus: Illic enim mens a mente dividitur, ubi facultatum communio non tenetur, ubi possessionum diversa proprietates, ubi mens possidentium non est una: frigidum illud verbum meum, ac tuum multas uniones dissolvit, pacis vincula rumpit, juris foedeta contemnit, ut videre est in Abrahamo erga suum dilectissimum consobrinum Loth, Genes. 13. n. 8. & apud multos alios.

Ait Textus: Cor unum, & anima una, Quae verba exponens Cajetan. ait: Unitas cordis similitudinem significat voluntatum, unitas autem inime similitudinem affectionum. Ego vero ita expono: Unitas cordis significat unitatem voluntatum. Una anima dicit unitatem aliarum potentiarum, intellectus, scilicet, & memoriae; ac si diceret: tanta in eis erat unio, ac si in omnibus idem esset velle, intelligere, ac memoria habere.

Haec est prima laus, quae de illa praeclearissima primitiva Ecclesia scribitur, ut notavit Potho Presbyter Prumensis lib. 3. de statu domus Dei, & ait: Beatus ille populus tunc in fide adunatus sancti Spiritus unione doctus primam hanc emisit jubilationem, hanc consonam depromptit caelestis musica modulationem, quam in Actibus Apostolorum audivimus: Mul-

titudinis credentium erat cor unum, & anima una. Quae unitas tanta erat, ut dicat D. Basilius in Constitut. Monasticis cap. 19. Homines ex diversis Nationibus, & regionibus profectos per exactam morum, ac disciplinae similitudinem, adeo velut unum coaluisse ut in pluribus corporibus unus tantum animus esse videatur, vicissimque plura corpora unius animi instrumenta.

Quod etiam explicans D. Cyprianus lib. 3. restim. ad Quirinum cap. 3. ait: Turba autem eorum, qui crederent, anima, ac mente una agebant; ne inter illos discrimen ullum. Iuxta efficaciam orationis Christi, qui in ultima Coena suam Aeternum Patrem exorans, Ioan. 17. n. 12. dicebat: Pater sancte serva eos in nomine tuo, ut sint unum, sicut & nos, & n. 20. Ut omnes unum sint, sicut tu Pater in me, & n. 22. Ut sint unum sicut & nos unum sumus. Quae verba elegantius explicat ibi D. Cyrillus Alexandr. dicens: D. Cyril. charitatis, pacis, & concordiae vinculum petit; quod ad tantam spirituales credentes unionem producat, ut naturalis, consubstantialisque in Patre, Filio, ac Spiritu sancto unionis similitudinem imitetur. Maxime ponderanda est gravitas, ac sublimis altitudo orationis Christi, qui tantam unionem spirituales vult in suis fidelibus, ut aliquo modo quantum fieri potest valeat imitari, ac adumbrari illam substantialiter unionem inter tres divinas Personas, in qua Pater totus est substantialiter in Filio, & Spiritu sancto, divinus Spiritus totus in Patre, & Filio, in eis unus est intellectus, eademque voluntas, sapientia, ac potentia, vestigium tantae unionis exoptat Christus, ut fideles sui imitentur, quod & si sint multi, ac diversi, spiritualiter tamen, ac charitate sint unum inter se; sicque in eis unum velle, ac intelligere, unaque efficacia operandi: Quod ad tantam spirituales credentes unionem producat, ut & naturalis, consubstantialis, quae est in Patre, Filio, ac Spiritu sancto unionis similitudinem imitetur.

Ait Regius Vates Psal. 4. n. 6. Signatum est super nos lumen vultus tui Domine, & cur cum in plurali loquatur statim sermonem divercit ad singularem: Dedisti latitiam in corde meo. Consequenter videbatur dicendum, Dedisti latitiam in corde nostro? Atque & profundè loquitur, Ubi primum vultus Divini flamma irradiat, ejusque amoris fulmen plures percutit, destruit pluralitatem, & in unicum cor corda omnium adstringit. Rupertus de glorificatione Trinitatis lib. 6. cap. 15. ait: De multitudine credentium cum dixisset; signatum est super nos lumen vultus tui, Domine; protinus uti maluit singulari numero, dicens ex persona ipsorum: Dedisti latitiam in corde meo, & rectè quia multitudine credentium erat cor unum, & anima una.

Ad ipsos fideles valde divites cum magno provectu pergat loquens eodem Psal. n. 8. idem Vates: A fructu frumenti & olei sui multiplicari fideles Ecclesiae filii a fructu caelesti panis, ac oleo divinae gratiae in magna, & copiosa multiplicatione sunt, tamen de tam ampla multitudine tanquam de uno singulari statim agit: Quoniam tu, Domine singulariter in spe constituisti me. Quos amor in se in unum connectit, sub unica eadem spe omnes cohibet, ut non multiplex, sed una, & unica sit expectatio: sic pergit citatus Rupertus; Quam quoque videlicet unitatem cordis, & anima, illud quoque adverbium pulchre exprimit: Quoniam tu, Domine singulariter in spe constituisti me. Ipse namque Spiritus sanctus de multis efficit unum. Vide supra cap. 1. quæst. 30. num. 209. & 210.

Act. 4. n. 3. Et virtute magna reddebant K 4 Apostoli

Apostoli testimonium resurrectionis Jesu Christi, & gratia magna erat in omnibus illis.

Num. 34. Neque enim quisquam egens erat inter illos, quotquot enim possessores agrorum, aut domorum erant vendentes, afferebant pretia eorum, quae vendebantur.

Num. 35. Et ponebant ante pedes Apostolorum: Dividebant autem singulis, prout cuique opus erat.

Num. 36. Ioseph autem, qui cognominatus est Barnabas ab Apostolis (quod est interpretatum filius consolationis) Levites Cyprii genere.

Num. 37. Cum haberet agrum, vendidit eum, & attulit pretium, & posuit ante pedes Apostolorum.

Versiones

CUM EXPOSITIONE X.

Verf. 33. Virtute magna, Tigurina, Pagninus, Potentia, & robore, hoc est fiducia, & audacia. Reddebant Apostoli testimonium resurrectionis. Arabicus: Promulgabant testimonium. Aethiopicus: Faciebant testimonium. Ait Textus: Resurrectionis iuxta mandatum Christi: quia hoc mysterium est praecipuum nostrae fidei, & illud maxime negabant Iudaei. D. Chryl. & Oecumen. promunt verbum ex radice Graeca, quod est tanquam depositum reddere, & ferebant hoc testimonium, quod eis imposuit Christus multis miraculis confirmatum, ut notat Lyranus.

139. Tigurin. Pagnin. Arabic. D. Chryl. Oecum. Lyran.

140. Arabicus. Gratia magna erat in omnibus illis. Arabicus: Super eos ingens gratia: Sermo est de Apostolis. Gratia magna sanctitatis erga Deum, & magna charitatis, & unionis inter ipsos Apostolos, & magna benevolentiae, & beneficentiae erga omnes, ex quo omnibus erant valde amabiles, & in magna reverentia, ut dicitur cap. 2. n. 47. Gratiam habebant ad omnem plebem.

Act. 1.

141. Verf. 34. Neque enim quisquam egens erat inter illos. Omnes primitivi Christiani erant pauperes, non tamen egentes; nam pauper dicitur qui facultates non habet; egens cui necessaria desunt: erant ergo omnes pauperes, quia nemo aliquid suum esse dicebat; non tamen erant egentes, quia illa omnia distribuebantur prout unicuique opus erat. Possessiones agrorum, & domorum vendebant, quod non intelligitur de illis domibus, ut bene notat Estius, in quibus habitabant, has enim habebant non tanquam proprias, sed ut ad communem usum, vel suum, seu aliorum fratrum; siquidem Petrus à carcere liberatus venit in domum Mariae matris, Ioan. infra Act. 12. n. 12. & Philippus unus ex septem Diaconis habebat domum Caesareae Act. 21. n. 8. & etiam in Evangelio dicitur domus Simonis, & etiam Martha, & Mariae.

Estius.

142. Aethiop. Arabic. Verf. 35. Et ponebant ante pedes Apostolorum. Aethiopic. sub pedibus Apostolorum, quod faciebant, tum ob eorum reverentiam tum ob contemptum temporalium, de quo in fra q. 19. Dividebatur autem singulis. Arabicus Pro ratione egestatis eius.

142. Aethiop. Arabic.

143. Act. 13. Barnab. Verf. 36. Ioseph autem, qui cognominatus est Barnabas qui interpretatur filius consolationis, seu, ut alii legunt, refrigerii, & huius viri facit mentionem, in magnum, & praclarum exemplum, qui & cum Paulo infra vocatus est in Apostolatam. Dicitur Consolationis, seu refrigerii, quia multam consolati-

tionem Apostolis attulit, vel etiam pauperibus; vel quia sua eximia mansuetudine, charitate, seu eloquentia, gratia, sanctitate multa pollebat facultate consolandi afflictos, & miseros; ita Alexander in ejus vita; de hoc illustri viro quaestione ultima.

QUAESTIO XIX.

Quare primitivi Christiani tam avidè paupertatem amplectebantur, & terrena contemnebant?

Ratio à priori huius rei est, quia gratia divini Spiritus sic eorum corda adimpleverat, ut in omnibus Christum imitarentur, ejusque vestigia sequerentur; Christus autem Dominus dicebat de se: Ego mendicus sum, & pauper, Psal. 39. 18. vulpes foveas habent, & volucres caeli nidos: filius autem hominis non habet, ubi caput reclinet, Matth. 8. n. 20. Ipsamque paupertatem maxime in omnibus divinus Magister commendabat, enumeransque Beatitudines, paupertatem in capite omnium colloca vit, dicens: Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum Caelorum, Matth. 5. num. 3. sicque praecipit suis Apostolis, ut in via nec portarent argentum nec peram, nec calceamenta, Matth. 10. n. 8. ad quae verba alludens D. Hieronymus epist. ad Heliodor. de laude vitae solitariae, ait: Non pera sibi sumenda est, non virga est, affatim dives est, qui cum Christo dives est. Idem D. Hieron. epist. 150. ad Hedibidiam. q. 1. ait: Fac, quod fecerunt Apostoli: Vende omnia quae habes, & da pauperibus, & sequere salvatorem, & nudam, solamque crucem nuda sequaris & sola.

144.

Psal. 39.

Matth. 8.

Matth. 5.

Christus se-

quendus ab

homine nuda

Deinde, ut ait Apostolus, 2. Timoth. 6. n. 20. Radix omnium malorum cupiditas. Quis Regem Pharaonem demerit in mare tanquam plumbum: Dixit inimicum persequar, & comprehendam, dividam spolia, & implebitur anima mea, Exod. 15. num. 9. Ex vehementi cupiditate animam spiritualem terrenis volebat adimpleri. D. Chryl. homil. 41. ad Popul. Antioch. ait: Nihil erat, quod posset ejus explere libidinem.

145.

2. Tim. 6.

Radix om-

nium malo-

rum cupidi-

tas.

Exod. 15.

Hanc radicem, & cupiditatem omnium malorum in nobis avellit, & extinguit Charitas, quae, ut ait Paulus: Diffusa est in nobis per Spiritum sanctum, qui datus est nobis, Rom. 5. n. 5. Apostolus solum loquitur de Charitate diffusa in nobis, per Spiritum sanctum; quia Charitas, ut ait D. August. de Spiritu, & litera tanquam catena ceteras virtutes adduxit secum, qui bus omnia mala eorumque fomenta, ac depravata cupiditates propulsantur; cum ergo in illis primitivis Christianis charitas Dei esset diffusa per Spiritum sanctum, omnes pravae cupiditates ei adicatae sunt, Christi paupertas, ac ejus nuda Crux plantata cum contemptu omnium temporalium, & cum intima fraternitatis unione, ut in eis omnia essent communia.

146.

Rom. 5.

Per charita-

tem ampu-

tantur omnia

mala.

Ait divina Sponsa Cantic. 1. n. 3. Introduxit me Rex in Cellaria sua. Respondent Sodales. Exultabimus, & letabimur in te memores uberum tuorum. Ex eo quod ipsa sit introducta in promptuarium, gaudent, & exultant ancillae, memores uberum tuorum, quia lac, quod in eis nutritur, & ab eis dimanant, ipsis fodalibus erat, non vero sibi ipsi personae solum; quia totus ipsum illarum erat; & praclare D. Bernardus ferm. 23. in Cantic. sic ait: Introduxit me Rex in Cellaria; Putate, & vos pariter introducit. Sola introducta videor; sed soli non proderit: vestrum omnium est meus omnis profectus: vobis profectio, vobiscum parabor... audi quid ille respondeat: Exultabimus, & letabimur in te: & addunt memo-

147.

Cant. 1.

Iustorum bona

communia.

D. Bern.

ves uberum tuorum aequanimiter sustinemus, dum venias, scientes te plenam ad nos reversuram uberibus.

Clamant illustrissimi Seniores ante Dei sedem: Gaudeamus, & exultemus, & demus gloriam ei, quia venerunt nuptiae Agni, & uxor ejus preparavit se, & datum est illi, ut cooperiat se byssino splendens, & candido, Apoc. 19. n. 7. Magnam, & pomposam in caelesti curia letitiam, atque exultationem nobis narrat Evangelista in celebratis nuptiis Agni, pro cuius exacta enodatione investigandum est, quanam sint haec nuptiae, quae haec Sponsa? Juxta communem Doctorum placitum, ut ibi dixi, nuptiae, est felix dies retributionis, ac praemii meritum: ac cotone debet gloriae; Sponsa vero ponitur pro filiis Ecclesiae militantis, dum induit puro, & candido byssino justitiae, charitatis, omniumque virtutum ad caelestem curiam assumuntur. Unde ibi dicitur: Beati, qui ad cenam Agni vocati sunt. Inde tanta exultatio, tam plausibile gaudium in caelestibus spiritibus, jam enim alios vident participes suae gloriae, & eos in ea socios, ac consortes habere. D. Ambros. ibi in nomine caelestium spirituum sic loquitur: Ideo gaudeamus, & exultemus eo quod misericordia conditoris nostri Ecclesiam suam, quae sumus nos, ita sibi conjungere se dignatus, ut sponsa conjungitur sponso.

148.

Apoc. 3.

Iusti gaudent

cum suis o-

mnibus commu-

nicatis.

D. Ambros.

QUAESTIO XX.

Quare primitivi Christiani omnia sua non ad manus, sed ad pedes Apostolorum ponebant?

Textus ait: Ponebant ad pedes Apostolorum. Aethiopic. Sub pedibus Apostolorum, pretia eorum, quae vendebant, non ad manus, sed ad pedes ponebant, ad quod responderit primo D. Hieronymus epistol. ad Paulin. & ait: Quando Domini nostri ad hoc caelestis curior, & fervebat recens in credentibus fides vendebant omnes possessiones suas, & pretia eorum ad Apostolorum deferebant pedes, ut ostenderent pecunias esse calcandas, nihilque faciendas. Ex hoc divitiarum contemptu in tantum sunt sublimati, ut Spiritu sancto replerent. Moyses grandis factus reputatus est filius filiae Pharaonis: ita ut succedentibus rebus posset fieri Rex Aegypti, sicut ipse Pharaon; has tamen omnes rerum amplitudines plebs contempnit, ut scribit Apostolus Hebraeor. 11. n. 26. Majores divitias ultimis thesauris Aegyptiorum impropere Christi. Quid inde factum, ut non solum fieret Rex ut Pharaon, sed etiam Deus Pharaonis, atque Aegypti, Exod. 7. Ingeniose D. Ambros. in Psal. 118. ubi sic ait: Moyses noluit esse Rex cum posset, sed opprobrium Christi thesauris Aegypti arbitratus est; factus enim in Deum Regi Pharaoni, Rex erat Pharaon, sed Deus non erat. In tantum evectus per temporalium rerum contemptum.

149.

Aethiop.

D. Hieron.

Ex contemp-

tu tempor-

alium in gnu-

is proventus.

Hebr. 11.

Exod. 7.

D. Ambros.

150.

D. Chryl.

Quae pauperi

dantur ma-

gis accipi-

untur.

Ait Ecclesiastes cap. 11. n. 1. Mitte panem tuum super transeuntes aquas, quia post tempora multa invenies illum. Chaldaeus in Biblia Regia sic legit: Porrigere alimentum tuum pauperibus, qui ambulat in navibus super facies aquarum; quoniam post tempus dierum multorum invenies mercedem ejus in saeculo hoc, & in saeculo venturo. Omitto id, quod in praesenti dicitur datum pauperibus habere suam mercedem in hoc saeculo, & venturo, illud tamen est maxime inquirendum, quid habet eleemosyna data pauperibus cum transeuntibus maritimis (de illis interpretatur Chaldaeus) quod in aquis marinis jacitur rapido aquarum voragine cito transit, & perit, quid ergo eleemosyna cum ipsis aquis marinis? Vera Philolophia docet: Aqua fontana ex marina hauritur, qui dat marina rursus non attenuatur propter retributionem, quae si est supernis, quae id, quod evaporavit per Solem aethum distillat, calidus, & exundat per rorem exhalationum quotidie sursum tendentium excrefcens. Certum est quod aqua marina se se per terrae meatus transfundit, ut fontes, & flumina adimpleat; deinde verò aqua ipsa vaporibus terrae, & rore caelestium adaucta revertitur in mare, indeque aquae marinae excrefcunt, & deo optimo jure panis datus pauperi cum aquis marinis comparatur, quia sic eleemosyna confertur pauperi, ut in ipsum dantem cum beneficentia terrena, & caelestium rore revertatur multum crescere faciat, & adimpleat omnibus caelestibus donis.

151.

Chald.

Philos.

Qui dat

pauperi ma-

gis accipit

quam dat.

152.

2. Cor. 8.

Elleemosyna

Dei gratia.

D. Brun.

QUAESTIO XXI.

Quisnam esset iste Barnabas, de quo hic fit mentio?

Ait Textus: Ioseph autem, qui cognominatus est Barnabas ab Apostolis, quod interpretatur filius consolationis. Cur sic sit dictus, jam proposui rationem; quia ipsa sua persona eam attulit Apostolis, & aliis. Dubitatur tamen, an haec interpretatio nominis fuerit posita à D. Luca, vel ab Interprete: Respondeo fuisse scriptam à D. Luca; quia ita habetur in autographo Graeco textu Lucae, & Syriaco: Voluit Sacer Evangelista reddere rationem cur cum Ioseph esset proprium illius nomen, ab Apostolis nomen fuit mutatum, & impositum Barnabas, quod Hebraice significat filius consolationis, sicut infra nomen Elymas interpretatur magus cap. 13. n. 3.

153.

Cur dicitur

filium consola-

tionis.

Act. 13.

154.

De hoc facit D. Lucas peculiarem mentionem, tanquam valde illustre exemplum, tum ratione suae personae, ob singulares illius dotes: tum etiam ut habeatur